

nium tenores; presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die decima Octobris 1615. Pontificatus nostri Anno Undecimo.

Dat. die 10. Octobr. 1615. An. XI.

C L I I.

Ex Reg. in Secret. brev.

Mandat Collectori Apostolico Portugalliae, ut juxta formam a S. Concilio Tridentino praescriptam, in omnibus, & singulis Monasteriis Monialium ejusdem Regni cum tantum numerum ab Archiepiscopis, & Episcopis denuo praefigi, ac imposterum conservari curet, qui ex redditibus propriis eorumdem Monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis congrue possit sustentari, abusus propinarum tollat, & Constitutionem Pii V. super prohibitione egressus Monialium e Monasteriis observari curet.

Venerabili fratri Octavio Episcopo Forosempronien. Spolitorum, & jurium Camera Apostolica in Portugallia, & Algarbiorum Regnis debitorum Collectori generali.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ven. frater salutem, & apostolicam benedictionem.

Exordium.

O Nerofa Pastoralis sollicitudinis cura Nobis meritis licet imparibus insufficientibus per abundantiam divinae gratiae commissa postulat, ut ad ea sedulo intendamus, per quae sanctimonialium, quae relictis mundi illecebris, divini numinis obsequiis sese manciparunt, prospero, felicitique regimini, & directioni consulitur, prout in Domino conspicimus salubriter expedire, & pia Catholicorum Regum vota exoptant.

Mandatum, de quo in rubrica.

§.1. Supplicationibus itaque charissimi in Christo filii nostri Philippi Portugalliae, & Algarbiorum Regis Catholici Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, de Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Regularium praepositorum consilio, Fratritati tuae per praesentes committimus, & mandamus, ut juxta normam a Sacro Concilio Tridentino praescriptam, in omnibus, & singulis Monialium Monasteriis Regni Portugalliae cum tantum numerum ab Archiepiscopis, & Episcopis denuo praefigi, ac imposterum conservari cures, qui ex redditibus propriis eorumdem Monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis congrue sustentari, & juxta dictorum Monasteriorum capacitatem, necnon Cellarum quantitatem commode ibi commorari possint, ita tamen, quod in his, quae Regularibus subiecta sunt, iidem Regulares superiores, numeri praefixioni assistant, & supra numerum hujusmodi nulla deinceps ad habitum regularem admittatur, absque expressa licentia Sedis Apostolicae, iidemque Archiepiscopis, & Episcopis auctoritate nostra praecipias, & mandes, ut curent, quod Puella quae intra numerum praefixum, ordinarias, quae vero de licentia Sedis praedictae supra numerum habitum Regularem in dictis Monasteriis suscipiant, duplicatas elemosynas dotales persolvant: hujusmodi autem elemosyna non apud Monialium consanguineos, vel affines relinquatur, sed antequam praedictae Puellae habitum regularem suscipiant, deponantur actualiter, vel apud mercatorem, vel penes alteram personam fide, & facultatibus idoneam ad effectum, ut statim emissa professione in emptionem honorum stabiliam, aut annuorum reddituum pro ipsis Monasteriis convertantur. Insuper eadem auctoritate tollas abusus propinarum in ingressu Monasterii Superioribus, sicut asseritur, solvi solitarum, illasque de cetero quoquo modo persolvi gravissimarum poenarum, & censurarum comminatione prohibeas, licitum tamen esse decernas puellae ea die, qua ad habitum regularem admittetur, elargiri aliquid esculenti, vel poculenti modici valoris, & pro ejusdem diei vinctu dumtaxat. Praeterea Constitutionem fel. rec. Pii Papae Quinti Praedecessoris nostri, ac decretum ejusdem Concilii Tridentini super prohibitione egressus Monialium e Monasteriis omnino observari facias: super quibus omnibus, & singulis dicta auctoritate, tenore praesentium plenam, liberam, & amplam facultatem, & auctoritatem concedimus, & impertimur.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac praedictorum Monasteriorum, & Ordinum, quorum fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac praedictorum Monasteriorum, & Ordinum, quorum fuerint, etiam juramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, eorum omnium tenores presentibus pro expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Tusculi sub Annulo Piscatoris die 10. Octobris 1615. Pontificatus nostri Anno XI.

Dat. die 10. Octobr. 1615. An. XI.

Ere-

CCLIII.

Erectio Cappellae in Basilica Sanctae Mariae Majoris de Urbe, & ad illam translatio Sacrae Imaginis Gloriosissimae Virginis Mariae, cum Prioratus, Cappellaniarum, & Clericatumque, ac Jurispatronatus institutione, annuorumque reddituum assignatione, & Cardinalis Protectoris jurisdictione.

In hac eadem Basilica, & e conspectu hujus Cappellae, olim edificatae fuit altera Cappella Praesepe Domini Nostri Jesu Christi cum non ab simili jurispatronatus, protectionis, jurisdictionisque, ac beneficiorum institutione a Sixto Quinto in sua Constitutione LXXXIX. Gloriosa Tom. IV. Par. IV. fol. 311.

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

B. Virginie aliqua ex pluribus meritis, & laudibus recenset.

Immensae bonitatis Creator omnium, Deus, cujus admirabili providentia cuncta reguntur, cum ita dilexisset mundum, ut pro illius redemptione daturus esset Filium Unigenitum, ad tam magnum, & ineffabile implendum mysterium, ex omni creatura Mariam Virginem purissimam, atque sanctissimam de Regia stirpe praelegit. Hinc Spiritus Sancti virtute, ei sicut pluvia, quae de rore caeli in vellus descendit, obumbrante, fecit Unigeniti sui Genitricem, unaque cum uberrima foecunditate florem virginitatis illibatam perpetuo conservavit, cujus virtutem, & pulchritudinem, Sol, & Luna mirantur, natura obstupescit, infernus quoque contremiscit. Ipsa enim tot figuris, tot Prophetarum visionibus, ac vaticiniis antea praemonstrata, & a Sanctis Patribus diu expectata, tandem veniens fortis, ac scuto virtutum, & gratiarum omnium ornata, salutifera foecunditate sua liberavit nos a captivitate, ac serpentis capite contrito, sole amicta, lunam habens sub pedibus, victrix, & triumphatrix, duodecim corona stellarum coronari, ac super choros Angelorum exaltata, Regina Coeli, & Terrae appellari promeruit.

§.1. Igitur, dum praecelsa meritum insignia, quibus ipsa Virgo Dei Genetrix gloriosa Sedibus praelata sydereis, quasi stella matutina resurgit, Nos pia considerationis indagine perscrutamur, dum etiam intra peccatoris arcana revolvimus, quod ipse uti Mater misericordiae pro Christiano Populo sedulo exoratrix, & pervigil ad Regem, quem genuit intercedit, quodque eandem Sacratissimam Virginem in omnium rerum difficultatibus, ac operibus nostris semper invenimus adjudicem, ac innumera, quae largitor Altissimus Nobis contulit beneficia, piis illius precibus credimus

accepisse, dignum quin potius debitum arbitramur, ut sicuti Redemptor noster, & Deus ipsam Sacratissimam Virginem sublimavit in caelis, ita eam Nos, quantum possumus honoremus in terris. Atque ut Religionem, quam semper erga ipsam Dei Genitricem animo inclusam tulimus, externi quoque cultus insigni testimonio aperimus, cum alias ejusdem Sacratissimae Virginis nomine, & miraculorum splendore illustres Ecclesias semper in honore habuimus, tum in primis erga celeberrimam ejus in Alma Urbe Basilicam Sanctae Mariae Majoris appellatam, & illius Sacratissimam Imaginem, quae inibi venerabiliter asseveratur, praecipua quadam, & pia devotione affecti sumus: etenim Imaginem hanc Christianissimum religionem semper claruisse, pluraque, & insignia ex ea miracula prodidisse antiqua monumenta testantur: ipsius vero Basilicae fundamenta ab eadem Virgine praeclearo Nivis miraculo designata fuisse, vetus traditio docet. Plurimis item privilegiis, & gratiarum tam spiritualium, quam temporalium titulis, & prerogativis ipsa Basilica, ipsaque Imago a Beato Gregorio Magno, & aliis Summis Pontificibus Praedecessoribus nostris decorata reperitur, ac frequens ad eam non modo Romani Populi, sed exterarum Nationum devotus concursus accedit. Itaque ubi primum ad apostolatus apicem evecti fuimus, singulari erga eandem Gloriosissimam Virginem, & illius Sacratissimam Imaginem praedictam devotione, & divina quadam inspiratione permoti, in illius honorem insignem Cappellam a fundamentis extruere, & ornare, ac eandem Imaginem, quae in medio dictae Basilicae Navi prope dextrum cornu Altaris majoris in ligneo ciborio marmoreis columnis elato colebatur, ad Cappellam novam praedictam transferre, & supra Altare ejusdem Cappellae propterea erigendum honorificentius collocare deliberavimus, ipsamque deliberationem ex animo amplectentes, & omni studio prosequentes.

Sam Imaginem ad eam transferre delibavit.

Cappellae infiguam locum, & ambitum elegit.

§.2. In primis locum opportunum pro Cappella hujusmodi edificanda, scilicet in navi dextera ejusdem Basilicae, ubi antiqua illius Sacratissimae existebat, e conspectu alterius insignis Cappellae ad Praesepe Domini per fel. rec. Sixtum Papam Quintum Praedecessorem nostrum a fundamentis erectae, & omnem illius ambitum circumstantem usque in vias publicas elegimus, ac antiquam Sacratissimam praedictam demoliri, & loco illius aliam in extrema pene Basilica sinistrorsum, structura, aedificio, ornatuque magnificentissimam, & commodissimam, magna nostra impensa fieri curavimus, jansque Cappellae altissimis fundamentis, validissimisque, & firmissimis muris illius ambitum universum complectentibus fabricatis, Cappellam novam praedictam ad sui formam erexitur, ipsamque extrinsecus sublimi testudine plumbi laminis tegi, ac crustis, Tyburinorumque lapidum tegmentis ad majorem illius roboris firmitatem undi-

In cuius p[re]cipua parte, altate in i[n]f[er]is exculptum gemmif[er]um, precioforibus exornatum in ip[s]ius B. Virginis honor[em] erexit.

Ad Cappella[m] limina[m] ex una parte Sacell[um] S. Caroli, & ex altera Sanctae Francisc[ae] magnifice con[]struxit.

In eod[em] Cappellae loco, unum monumentum Clementi VIII. posuit, alteram vero sibi ad sepulchrum relevavit.

In vestibulo sanguine sibi conjunctis sepulchrum collocavit.

Sacrificiam ad Cappellam usum, pluresque ad majorem commoditatem ad i[n]venit.

Ad ipsam partem Cappellam dicam, Virginis Imaginem tran[s]tulit.

undique valla, intus vero sc[ilicet] marmoribus, ac versicoloribus lapidibus, & columnis pretiosis de longinquis partibus adve[ctis], egregiis quoque statuis marmoreis, & picturis a primariis saeculi nostri scultoribus, pictoribusque delineatis, atque confectis magnificentissime ornari, nostra itidem, & quidem maxima impensa, etiam curavimus.

§. 3. In p[re]cipua vero parte ipsius Cappellae novae, Altare in honorem ipsius Beatae Mariae Virginis quatuor ex iaspide columnis aurata junctura contextis, ac statuis aeneis superstantibus exculptum erexit: medium autem, qui praedictis columnis intercipitur, parietem, ubi locum sacrae Imaginis designavimus, coeruleis lapidis lazuli crustis inteximus, ibique locum instar fenestrae aeneis angelorum figuris auro micantibus circumseptum, ac preciosis gemmis undique exornatum pro ejusdem sacrae Imaginis digna sede excidi, ac aptari mandavimus.

§. 4. Duo praeterea minora Altaria, sive Sacella eodem modo picturis, & ornamentis magnifice exulta, ad ipsius Cappellae novae limina ab utraque parte, unum videlicet sub S. Caroli Borromaei, alterum vero sub Beatae Francisc[ae], quorum nomina in Catalogo Sanctorum a Nobis descripta sunt, invocationibus instituitur supra, quae quatuor mansiones ad usum, & formam chori reliquimus, & in una, quae est supra Altare ipsius S. Francisc[ae], organum iussu nostro collocatum est.

§. 5. Ad dicta vero Cappellae novae latera, duo itidem monumenta magnifice extruximus, quorum alterum ab una parte praeter memoriam Clementi VIII. etiam Praedecessori nostro, cum praecipuis ab eo in suo Pontificatu gestis e marmore expressis, erectum, & alterum e regione memoriae viae universae carnis ad nostram sepulchram reservatum extruximus.

§. 6. Item aliud sepulchrum in vestibulo dictae Cappellae novae, pro sanguine nobis conjunctis, & de parentela nostra pro tempore existentibus sepeliendis fieri fecimus.

§. 7. Sacrificiam quoque eidem Cappellae novae annexam ad illius usum, nec non plures mansiones ad majorem commoditatem ad i[n]venimus.

§. 8. Et deinde Cappellam praedictam, postquam ejusdem Beatissimae Virginis ope ad i[n]venit plurimum annorum Pontificatus nostri curriculo, omnia adhibita diligentia nullis parentibus expensis absolvimus, atque perfecimus, & ad ipsius Dei Omnipotentis, & ejusdem Gloriosissimae Virginis laudem, & honorem, ac erga eam fidelis populi devotionem augendam, solempni ritu consecrari, & dedicari, ac sexto Kalendas Februarii ejusdem Pontificatus Nostri Anno Octavo sanctam Imaginem praedictam, omnium S. R. E. Cardinalium coetu, & Praelatorum, Romanae Curiae, Capituli quoque dictae Basilicae, & fere totius Romani Cleri interventu, ac fidelium utriusque sexus multitudine astante, ac etiam Nobis ipsis in Cappella nova

praedicta, in una ex quatuor ad chori usum destinatis mansionibus, sacris caeremoniis praesentibus, pioque affectu cuncta aspicientibus, debita cum reverentia, & religione diligenter e loco, ubi prius asservabatur, amoveri, & solempni processione extra ipsam Basilicam per vias, & loca publica designata omnibus ostendendam, Hymnis, & Laudibus decantatis Clero universo psallente circumferri, moxque in eandem Basilicam reportatam ad eandem Cappellam novam transferri, & supra Altare in loco, seu tabernaculo, ut praesertur, in muro alte exciso, & ad id decenter aptato, inibi sub diligenti custodia, clausuraque religiosissime, servandam, collocari etiam mandavimus.

§. 9. Quoniam vero maxime convenire censuimus, ut in hac Cappella nova, ipsa Beatissima Virgo, & illius Imago praedicta non solum in marmoribus lapidibus, figuris, picturisque, imaginibus, & ornamentis praedictis, sed etiam, & multo magis in Missae sacrificio, veraque, & actuali Corporis, & Sanguinis Domini Nostri Jesu Christi Filii sui oblatione, divinisque officiis jugiter honoretur, divinisque cultus non temporalibus modo, sed spiritualibus quoque ornamentis, & rebus augeatur, in eadem Cappella nova, unum Prioratum pro uno Priore, & duodecim Cappellanas pro duodecim Cappellanis perpetuis, ex quibus unus Sacrista, & alius Camerarius etiam sint, necnon quatuor Clericatus pro quatuor Clericis amovibilibus erexit, & instituitur, ac eidem Cappellae novae diversa secularia, & forsan regularia beneficia ecclesiastica univimus, illorumque fructus, redditus, & proventus, ac emolumenta in dotem assignavimus, & infra, *Aliaque ideo hic enunciat praetermittit, quia aliter ut sequitur statuta fuerunt.*

§. 10. Et nihilominus praemissa, ut infra in melius declarantes, corrigentes, mutantes, ac illis addentes, & desuper de novo disponentes in dicta Cappella a Nobis apud Basilicam praedictam, ut praesertur extracta, unum Prioratum perpetuum, qui inibi dignitas existat, pro uno Presbytero Sacerdote seculari, etiam alienigena, Priore perpetuo nuncupando, & duodecim perpetuas Cappellanas pro duodecim Clericis secularibus etiam alienigenis in Presbyteratus Ordine, vel saltem in ea etate constitutis, ut infra annum ad dictum Ordinem promoveri possint, & debeant, futuris inibi perpetuis Cappellanis, ex quibus etiam unus Sacrista sit, ad nutum Patroni pro tempore existentis infra scripti amovibilis, & alius Camerarius a Priore, & Cappellanis praedictis anno quolibet eligatur, & quatuor Clericatus pro quatuor Clericis pariter secularibus, & etiam alienigenis, ac amovibilibus. Quorum siquidem Cappellanorum, Sacristae, Camerarii, & Clericorum dictus Prior caput existat, ac in rebus, negotiis, & actibus tam publicis, quam privatis per eos tractandis, & faciendis, primum, & digniorem locum habeat, ibidemque praesit, ac tam ipse, quam praedicti

Pro cuius majoti veneratione sacra ibidem, & divina officia, jugiter celebrari decernit.

Propterea unum Prioratum, duodecim Cappellanas, & quatuor Clericatus in ea instituit, & ex illis Sacristam, & Camerarium eligi, ac Priorem secularem habere eosque omnes per se ipsos deservire, & alium Beneficium alibi obtinere non posse decernit.

Pro dote Prioratus, Cappellaniarum, ac officiorum Sacristae, & Camerarii, & Clericatum, bonis, & redditibus Archiepiscopatus Canonici, & Beneficiorum Ecclesiae S. Laurentii in Lucina sup[er] praesertur applicat.

Cappelle vero pro illius fabrica, & Sacristia, Cantoribus, aliisque necessitatibus, reliqua Beneficia unia, & univenda applicat. Et hanc dotem Cappellae esse separata[m] a mensa communis Prioratus, Cappellanorum, Sacristae, Camerarii, & Clericorum decernit.

dicti Cappellani, Sacrista, Camerarius, & Clerici dictae Cappellae, per se ipsos, prout inferius dicitur, & descriptum erit, deserviant, nec aliud Beneficium ecclesiasticum personalem residentiam requirens, in dicta Basilica, vel alibi obtineant, apostolica auctoritate perpetuo erigimus, & insitimus.

§. 11. Ipsique Cappella pro eorundem Prioratus, ac duodecim Cappellanarum, & quatuor Clericatum, & Sacristae, Camerarii quoque officiorum praedictorum dote, ac illos, illas, & illa pro tempore obtinentium sustentatione, onerumque eis incumbentium supportatione, eorundem Archiepiscopatus praedicti, ac sex Canonici, totidemque prebendarum, ac trium Beneficiorum, necnon Cappellanae sub invocatione Sancti Laurentii Philippi, & Jacobi in dicta Ecclesia Sancti Laurentii consistentium, & per Nos, ut praesertur, suppressorum, & extinctorum, ac dictae Cappellae unitorum, praedia, Casalia, ac alia bona stabilia, & Jura quomodolibet nuncupata, ubi libet existentia, illorumque fructus, redditus, proventus, obventiones, & emolumenta universa, eidem Cappellae, ut praesertur, alia applicata, ita quod liceat eidem Priori, Cappellanis, & Clericis hujusmodi per se, vel alium, seu alios, eorum, & dictae Cappellae, eorumque mensa, seu massa communis nominibus, illorum omnium, & singulorum realem, actualem, & corporalem possessionem, & seu quasi, propria auctoritate absque spoliis, & attentatorum vitio, & cujuscumque iudicis decreto, vel ministerio, libere apprehendere, & perpetuo retinere, illaque regere, & administrare, locare, & dislocare, ac omnes, & singulas pecuniarum, rerum, & bonorum summas, qualitates, & quantitates, nec non fructus, redditus, proventus, obventiones, & emolumenta percipere, exigere, & levare, ac de exactis, & receptis quietare, ad infra dicendos, & destinatos usus convertere, nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis, Dioecelani loci, vel Almae Urbis Vicarii, seu d. Basilicae Archiepiscopi, aut cujusvis alterius licentia minime requisita, auctoritate, & tenore praedictis perpetuo damus, & concedimus, assignamus, applicamus, & appropriamus.

§. 12. Rursus eidem Cappellae, & illius fabricae, & Sacristiae, quas dotem, & mensam propriam, & particularem, ac ab illa Priori, Cappellanis, Sacristae, Camerario, & Clericis praedictis, ut praesertur assignata prorsus distinctam, & separatam habere volumus, & declaramus, pro Cappellae, & illius fabricae, & Sacristiae hujusmodi propria, & particulari dote, & mensa, ac illarum reparatione, restauratione, & maintenance, salariorumque Cantorum, & Scoparii, ut infra ab eodem Patrono ad ejus nutum deputandorum praestatione, ac vini, olei, cerarum, & luminum, aliarumque impensarum, & onerum eidem Cappellae, fabricae, & Sacristiae nunc, & pro tempore incumbentium supportatione, omnia, & singula alia Beneficia ecclesiastica

Bull. Rom. Tom. V. Par. IV.

ca, secularia, & quorumvis Ordinum regularia quomodolibet qualificata, quaecumque, quotcumque, & qualicumque eidem Cappellae a nobis, ultra Archiepiscopatum, Canonici, Praebendas, Beneficia, & Cappellaniam in dicta Ecclesia S. Laurentii consistentia praedicta, quae Priori, Cappellanis, & Clericis praedictis, ut supra, reservata esse volumus, hactenus quomodolibet unita, ac in posterum a Nobis, vel successoribus nostris Romanis Pontificibus, seu nostra, vel eorum auctoritate unienda, ex nunc, prout ex tunc, quando unita fuerint, ac illorum omnia, & singula praedia, tam rustica, quam urbana, casalia, domos, proprietates, terras, possessiones, census, livellos, canones, loca montium, & quaecumque alia bona stabilia quomodolibet nuncupata, & ubi libet existentia cum omnibus iuribus, actionibus, grangiis, membris, pertinentiis, fructibus, redditibus, proventus, obventionibus, & emolumentis universis, ceterisque rebus, & bonis, mobilibus, & immobilibus, ac feroventibus, cujuscumque qualitatis, quantitatis, pretii, & valoris etiam annui existentibus, & ubique locorum consistentibus, eorumque proprietate, & dominio, ac omnia, & singula, tam in rebus quam in redditibus, pecuniis, iuribus, & actionibus hactenus a nobis quomodolibet data, donata, concessa, assignata, & applicata, quam etiam in posterum a nobis, & successoribus nostris Romanis Pontificibus praedictis, etiam quomodolibet danda, donanda, & concedenda, assignanda, & applicanda, similiter ex nunc, prout ex tunc, quando data, donata, concessa, assignata, & applicata fuerint.

§. 13. Nec non (cum infra scripta tamen declaratione) etiam oblationes, & quaecumque a quibusvis Imagini, & illius Cappellae praedictae, a dicta die sacrae ejusdem Imaginis translationis data, donata, seu relicta, dandaque, donanda, & seu relinquenda in futurum.

§. 14. Ita quod liceat nunc, & pro tempore existenti ejusdem Cappellae Patrono infra scripto, per se, vel alium, seu alios, toties, quoties sibi videbitur deputandos, & removendos, dictae Cappellae, illiusque fabricae, & Sacristiae, earumque mensae Capitularis hujusmodi nominibus, omnium, & singulorum, sicut praesertur, unitorum, assignatorum, applicatorum, datorum, oblatorum, donatorum, cessorum, concessorum, & restitorum, ac univendorum, assignandorum, applicandorum, dandorum, offerendorum, donandorum, cedendorum, concedendorum, & relinquendorum, postquam unita, assignata, applicata, data, oblata, donata, cessa, concessa, & relicta fuerint, realem, actualem, & corporalem possessionem, & seu quasi, propria auctoritate absque spoliis, & attentatorum vitio, & cujuscumque iudicis decreto, vel ministerio, libere, & licite apprehendere, & perpetuo retinere, illaque regere, & administrare, locare, dislocare.

A a §. 15. Ac

Donata hactenus, & oblationes, & largitiones factae post translationem S. Imaginis, & faciendae dote Cappellae applicat.

Patrono Cappellae possessionem propriam auctoritate bonorum Cappellae, ut supra, unitorum facultatem concedit.

Ex redditibus dotis Cappelle sunt per Patronum facienda impense pro vino, oleo cera, & salariis Cantorum, & Scoparii, residuum vero Patroni arbitrio in utilitatem Cappelle erit convertendum.

Servitium incumbens Priori, Sacriste, Camerario, & Cappellani, ac Clericis in Cappella.

Prior, & Cappellani faciunt Collegium, habent que insignia Collegialis habitum aliorum Cappellanorum.

Sacrista deputatur a Patrono ad ejus nutum pro cura suppellectilium, de quibus Inventarium facere cautionem, prestare, & rationem reddere tenetur.

§. 15. Ac omnes, & singulas pecuniarum, rerum, & bonorum summas, qualitates, & quantitates, nec non fructus, redditus, proventus, obventiones, & emolumenta percipere, exigere, & levare, ac de exactis, & receptis quietare, ac ex illis in primis, vini, olei, cere, & aliisque impensis necessariis, nec non Cantorum, & Scoparii, salaria persolvere, seu persolvi facere, & reliquum in ejusdem Cappelle, ac illius fabrice, & Sacristie usum, & utilitatem, prout sibi videbitur, & placebit, & ejus merito arbitrio convertere, nostra, & pro tempore existentis Romani Pontificis, Diocessani loci, vel Almæ Urbis Vicarii, seu dicte Basilicæ Archipresbyteri, aut cujusvis alterius licentia minime requisita, auctoritate, & tenore prædictis perpetuo damus, concedimus, assignamus, applicamus, & appropriamus.

§. 16. Ut autem tam Prior, Cappellani, Sacrista, Camerarius, Clerici, quam alii dicte Cappelle Ministri quicumque, certo sciant, quæ, & qualia sint eorum servitium, munia, onera, & instituta, & illis a quoquam quovis prætextu minime impediantur, seu ab illis distrahantur, motu, scientia, & potestate similibus declaramus, statuimus, & ordinamus, quod Prior, & Cappellani prædicti, omnibus diebus Dominicis, ac etiam omnibus ipsi Beate Mariæ Virginis festivitibus, singuli singulas Missas, & intra quamlibet hebdomadam singuli alias duas Missas per se ipsos, non autem per alium, seu alios Sacerdotes celebrare, ac in solemnitatibus, in quibus Capitulum, & Canonici dicte Basilicæ in dicte Cappella horas canonicas, & alia divina officia, ut infra, celebrabunt, Cotta superinduti, Missis, & horis canonicis, aliisque divinis officiis tam diurnis, quam nocturnis, in scamno, & loco per Cardinalem Protectorem infra scriptum designando, personaliter interesse teneantur.

§. 17. Ac tam Prior, quam Cappellani prædicti insimul unum Collegium cum arca, massa, & sigillo communibus, aliisque Collegialibus insignibus ad instar aliorum, similium Collegiorum tam in prædicta, quam in aliis quibuscumque dicte Urbis Basilicis, & Ecclesiis institutorum constituant, inibique habitum per alios Cappellanos deferri solitum, deferre possint.

§. 18. Ex duodecim autem Cappellanis hujusmodi unus a pro tempore existente Patrono deputetur Sacrista, qui ad ejusdem Patroni nutum amovibilis existat, & curam celebrationis Missarum, nec non custodiam sacre suppellectilis, ornamentorumque, & paramentorum ad Cappella prædictæ usum pro tempore pertinentium, vasorum tam auri, & argenti, quam aliarum rerum, & universa suppellectilis sibi sub Inventario consignandorum habeat, aliaque Sacristæ hujusmodi officium concernentia gerat, exercent, rationem, & computum paramentorum, & suppellectilis hujusmodi, & aliorum ejus curæ commissorum dicte Cappelle Patrono singulis sex mensibus, &

quoties ab eo fuerit requisitu, fideliter reddat, & de ratione hujusmodi reddenda, & reliquum consignando se obliget, cautionemque idoneam, si eidem Patrono placuerit, etiam præset, paramenta, ornamenta, vasa, vel aliâs quasvis res, & bona Cappelle, & Sacristie hujusmodi, quibusvis personis, Capitulis, Ecclesiis, Monasteriis, aut aliis locis, juxta formam aliarum literarum desuper a nobis emanatarum, & sub in eis contentis pœnis, accommodare non præsumat.

§. 19. Item de Paramentis, ornamentis, vasis, totaque suppellectili, & rebus omnibus Sacristie, ejus curæ commissis, Inventarium duplicatum, ab eodem Sacrista subscriptum conficiat, quorum unum penes Patronum, & alterum penes eum remaneat, quod etiam singulis quibusvis sex mensibus reveidetur, & renovetur.

§. 20. Item singulis annis ab eisdem Priore, & Cappellanis antedictis, in plena eorum Congregatione, unus de numero eorumdem duodecim Cappellanorum Camerarius per secreta suffragia eligatur, qui duret per annum tantum.

§. 21. Et cum officio Sacristæ incompatibilis sit, ac ipsorum Prioris, & Cappellanorum, & eorum Massæ communis Procurator existat, fructusque, redditus, & proventus, ac pecuniarum quantitates omnes eorumdem Prioris, & Cappellanorum Massæ communis exigere, & recuperare, ac tam Priori, quam unicuique Cappellano, & Clerico prædictis portionem singulis obvenerint statuto tempore solvere, nec pecunias receptas penes se retinere, sed eas in banco ad id ab ipsis Priore, & Cappellanis eligendo, statim consignare, clarumque, & distinctam rationem officii sui, ac totius administrationis, nec non recepti, & impensi per eum in plena Congregatione prædicta, seu coram ab eadem Congregatione deputatis, singulis sex mensibus, ac etiam quoties eidem Priori, & Cappellanis videbitur, reddere, sicque se in manibus Prioris efficaciter obligare debeat.

§. 22. Nec alium loco sui substituere possit, nisi de licentia Prioris, & Cappellanorum prædictorum in casu infirmitatis, vel absentie necessaria, seu aliâs licite: quo casu persona sic substituenda, sit de numero eorumdem Cappellanorum, & a Priore, ac Cappellanis prædictis approbari debeat, & in manibus Prioris de bene, & fideliter admistrando, & rationem reddendo, ac reliquum consignando, jurare, & se obligare, ac si eidem Congregationi videbitur, tam ipse Camerarius, quam ab eo sic substituentus, cautionem dare teneatur. Nec ipsi liceat ipsas pecunias cuiquam mutuo dare, aut in proprios usus convertere, aliâs ultra restitutionem debitam, etiam poena arbitrio Congregationis prædictæ infligenda, puniatur.

§. 23. Præterea unum Laicum, qui pavimentum, statuas, columnas, lampades, candelabra, & alia ornamenta dicte Cappelle, & Sacristie, ipsamque Cappellam, & Sa-

Sacriste prohibetur, ne ornamenta, paramenta, vasa, & bona Cappelle possitque commutare.

Camerarius eligendus a Cappella, & Cappellanis de gremio ipsorum, quorum officium duret per annum.

Quæ illius munia sint.

Camerarius teneatur per se ipsam administrare, præterquam in casu infirmitatis, vel absentie legitime causæ, & tunc persona substituenda sit de illorum gremio, & per Priorem, & Cappellanos approbanda.

Scoparius deputari debet per Patronum ad ejus nutum amovibilis.

bilis, cum salario 100. seu totum monetae quolibet anno ex redditibus mensæ Cappelle.

Scopario, & quatuor Clericis faciendæ quolibet anno vestes talares panni violacei ex redditibus mensæ Cappelle.

Festa celebranda in Cappella, & Litanie B. M. Virginis in ibi certis diebus decantanda.

Pro salario Cantorum ad nutum Patroni eligendum applicatur scuta 300. annua distribuentur, & redditibus mensæ Cappelle.

Prior, & Cappellani teneantur interesse Litanie post Vesperas decantandi.

Clerici a Patrono ad ejus nutum deputantur, & ipsi Priori, & Cappellani,

cristiam, illarumque ædes, & mansiones tergat, vertat, ac desquillas, pulverem, & aliâs sordes auferat, & ejiciat, Scoparium nuncupandum, ad ejusdem Patroni nutum amovibilem, ab eodem Patrono toties quoties opus fuerit, ac eidem Patrono videbitur, & placuerit deputari, ac illi pro ejus salario centum scuta monetae de pecuniis propriae dotis, & mensæ dicte Cappelle, illiusque fabricæ, & Sacristie, ut præfetur, assignata, quolibet mense proportionabiliter, & prorata persolvi.

§. 24. Et tam ipsi, quam singulis quatuor Clericis prædictis, quolibet anno vestem talarem panni violacei de ejusdem dotis, & mensæ Cappelle pecuniis, fieri mandamus.

§. 25. Insuper, ad divinum cultum, & pium devotionem in eadem Cappella quantum possumus, augendum, singulis Sabbathi diebus, ac Beate Mariæ festivitibus, illarumque vigiliis, ac in festivitate Translationis primodictæ Imaginis, quam ultima die Dominica mensis Januarii cujuslibet anni in eadem Cappella celebrari iustissimum singulis quibusvis annis, perpetuis futuris temporibus, Litanias cum Antiphona pro tempore currenti ejusdem Beate Mariæ Virginis, cum Organo, harmonia, & cantu figurato, alternis choris decantandas, iterato instituis, & ordinamus.

§. 26. Ac pro Cantorum, & aliorum Ministrorum, ad arbitrium Patroni pro tempore existentis, eligendorum, ad ejus nutum amovibilem, salario, annua trecenta scuta, juxta providam dicte Patroni pro tempore existentis circumscriptionem, & ordinationem, Cantoribus, & Ministris prædictis distribuenda, & eroganda, de pecuniis propriae dotis, & mensæ ipsius Cappelle, fabricæ, & Sacristie solvenda, assignamus.

§. 27. Quibus Litanis Prior, & singuli Cappellani, cum eorum Cottis semper saltem alternatim in loco, modoque, & ordine per Scipionem Cardinalem Protectorem antedictum præscribendis debeant interesse. Verum quia Cappellani, Toletani nuncupati, ad primodictam Imaginem, & illius Altare instituti, ex eorum institutionis hujusmodi præscripto, seu aliâs Litanias ipsius Beate Virginis singulis Sabbathi, & forsan aliis diebus, etiam recitare tenentur, nec ipsorum concursu Litanie a nobis, ut præfetur, institutæ quoquomodo impediantur, statuimus, & ordinamus, quod Cappellani Toletani prædicti, de mane statim post Missarum solemniam injunctas eis Litanias hujusmodi recitare debeant, prout hæctenus confueverunt, Litanie vero a nobis institutæ post Vesperas decantentur. Nos enim dicte Cardinalis de Toletæ, & quamvis aliam dispositionem, quatenus opus sit, quoad hæc sufficienter commutamus.

§. 28. Clerici autem prædicti, qui honestæ, & bonæ indolis a pro tempore existente Patrono dicte Cappelle, ac ad ejus nutum amovibiles deputentur, Priori, Cappellani, & Sacristæ in divinis infervire, ac

obsequia, & onera ipsis pro tempore imposta præstare teneantur.

§. 29. Porro ex fructibus, redditibus, & proventibus dicte Cappelle pro eorumdem Prioris, Cappellanorum, & Clericorum dote, & sustentatione, ut præfetur, assignatis, scilicet ex massa Ecclesie suppressæ prædictæ tantum annis singulis Prior trecenta, singuli vero Cappellani centum, & qui fuerit Sacrista, vel Camerarius, alia quinquaginta pro quolibet, singuli vero Clerici sexaginta scuta monetae habeant, atque percipiant, & Clericis singulis mensibus præfere, Priori vero, & Cappellanis, etiam menstruatim, si pecunia prompta fuerit, sin autem in terminis inter eos statuendis, illa persolvantur.

§. 30. Et quidquid ex eorum dote, & mensa singulis annis, solutis summis prædictis, supererit, in fine anni in duas aequales portiones dividatur, quarum una inter ipsos Priorem, Cappellanos, & Clericos pro virili distribuatur, & altera dori, & mensæ propriæ ipsius Cappelle, ac illius fabricæ, & Sacristie ad Patroni prædicti omnimodam, & liberam dispositionem, augeatur, & consignetur.

§. 31. Ac tam Prior quam Cappellani, & Clerici prædicti ad vere, & personaliter, continuoque in Urbe residendum, ac debita servitia, & obsequia præstandum: Sacrista vero cum duobus saltem ex quatuor Clericis prædictis, ad continuo in mansionibus dicte Cappelle habitandum, interdictione omnino Priori, Cappellanis, & Clericis hujusmodi ab Urbe absentia, ac Sacristæ, & Clericis prædictis extra mansionem dicte Cappelle pernoctatione sub amissionis fructuum, aliisque pœnis per Cardinalem Protectorem in statutorum editione irrogandis, & declarandis obligati existant.

§. 32. Nec liceat alicui ex Priore, Cappellanis, Camerario, Sacristæ, seu aliis dicte Cappelle Ministris, Priorum, Cappellanis, seu officia, & munia eorum in favorem alicujus resignare, vel permutare, neque pensionibus gravare, aut illarum reservationi consentire possint, tamen si velint, illos, illas, & illa pure, & simpliciter tantum dimittere ad effectum alios per Patronum præsentandi, eligendi, & deputandi.

§. 33. Insuper, ut Prior, Cappellani, & Clerici prædicti ab aliis servitiis liberi, promptius dicte Cappelle, illiusque obsequio & cultui, cui eos pia devotione addictos atque adscriptos esse desideramus, incumbere valeant, eisdem Priorem, Cappellanos, & Clericos, ab omnibus, & singulis obsequiis, & servitiis Basilicæ Sanctæ Mariæ Majoris, ejusque Chori, Capitulique, & Cleri, ac ab interventu, & interfectione in Missa, horis canonicis, & divinis officiis, etiam illis, quæ aliâs dictis Priori, & Cappellanis injunximus, ac a Processionibus, aliisque servitiis, & oneribus, ad quæ forte alii dignitates habentes, nec non Cappellani, & Clerici ejusdem Basilicæ tenentur, omnino eximimus, & liberamus: & nihilominus tam ipsi, quam Sacrista, & Clerici prædicti, ipsam Basilicam.

& Sacrista in divinis deservite teneantur.

Ex massa dentur quolibet anno scuta 300. Priori, & scuta 100. singulis Cappellanis, nec non scuta 50. Sacristæ, & alia 50. Camerario, & alia 60. cuiuslibet ex Clericis.

Et si aliquid supererit dividatur pro virili inter Priorem, & Cappellanos, ac Clericos pro una talia vero medicis applicatur mensæ Cappelle.

Prior, Cappellani, & Clerici, continuo in Urbe resident, & obsequia præstent. Sacrista vero ac duo saltem ex quatuor Clericis habitent in mansionibus Cappelle.

Officia Cappelle, non possunt resignari, nec permutari, nec pensionibus gravari.

Exemptio Prioris, & Cappellanorum, & Clericorum a servitiis, ac etiam Processionibus Basilicæ.

Capitulum, & Canonici obligantur ad celebrationem divinum in Cappella in festivitatibus S. Marie, ac S. Franciscæ, & S. Caroli.

Canonici ad celebrandum in tribus Altariis dicte Cappelle benigne recipiantur.

Custodia Sacre Imaginis datur Capitulo, & Canonici, qui deputare debent Canonicos qui claves tabernaculi retineant, & illud quando erit opus aperiant.

Tabernaculum Sacre Imaginis non erit aperendum nisi ex decreto Capituli, vel de mandato Protectoris, vel ex instantia Patroni, & pro aperitione assignatur locus transitus.

& Cappellam hujusmodi, quocumque tempore libere, sine aliqua Capituli, & Canonico- rum prædictorum licentia, pro servitio ejusdem Cappellæ adire, & ingredi possint.

§. 34. Capitulum autem, & Canonicos prædictos in festivitatibus Beatissimæ Virginis, ad Vesperas, ac Missas in ejus honorem, ac etiam similes Missas in honorem S. Franciscæ, & Sancti Caroli prædictorum in eorum festivis diebus, cum Prioris, & Cappellano- rum Cappellæ prædictæ assistentia celebrandas obligamus, & obligatos esse decernimus, & declaramus: in quibus festivitatibus Sacrificia dicte Cappellæ, planetas, tuni- cellas, ac pluvialia tantum, & ad celebra- tionem necessaria, cum quibus celebrare teneantur, ad Sacrificiam Basilicæ prædic- tæ transmittet, ut ab ea postea Capitulum, & Canonici processionaliter procedendo pro solemnî officio perficendo ad Cappellam prædictam perveniant.

§. 35. Canonici autem ad Altare Bea- tissimæ Mariæ Virginis, seu alia Altaria dic- tæ Cappellæ, Missas privatas celebrare vol- entibus, in eorum tamen canonicali, & capitulari Sacrificia planetis, & aliis sacris vestibus ex eorum Sacrificia indutis humani- ter admittis, & receptis, omnis commo- ditas celebrandi, & sanctum Missæ sacrificium perficendi, a Sacrificia concedatur. Ita tamen, ut Prior, & Cappellani dicte Cap- pellæ nequaquam in eorum servitio impe- diantur.

§. 36. Quo vero ad primodi- ctæ sacre Imaginis custodiam, declaramus, atque decernimus, quod non obstantibus quibus- cumque nostris, & aliorum Romanorum, Pontificum Prædecessorum nostrorum ordi- nationibus, etiam per modum concordiæ, & conventionum, seu aliis quomodolibet editis, & supra recensitis, perpetuis futu- ris temporibus primodi- ctæ Imaginis custo- dia, Capitulo, Canonici prædictæ Basilicæ, ubi Cappella a Nobis fundata, & primodi- ctæ sacra Imago de præsentî reposita existit, spectet, & spectare debeat, quorum cura, & sollicitudo erit deputare locum, & singula- res Canonicos, ubi, & apud quos claves loci, seu tabernaculi, in quo primodi- ctæ Imago reposita est, asservari, & Canonicos, qui primodi- ctam Imaginem aperire, & claudere debeant.

§. 37. Inhibentes tabernaculum hujus- modi pro primodi- ctæ Imagine, populo, seu aliis Christianis monstranda, & exhibenda aperiri, nisi ex ipsius Capituli decre- to, vel de Protectoris mandato, sive etiam instantia Patroni, tuncque Canonici ab ipso Capitulo ad aperendum, & claudendum, deputati, per ostium a latere dicte Cappellæ versus occasum Solis, intra Basilicam con- structum introeuntes, ac per scalam cho- clidii ascendentes, & per deambulationes inibi relictas, & a cellis, seu cameris distin- ctas, recto tramite, absque eo quod per ipsas cellas, seu cameras tam in eundo, quam in redeundo, transeant, procedentes ad con- clave primodi- ctæ Imaginis, pro ea aperienda, & claudenda, eant, & remeant.

§. 38. Volentes ostium prædictum de- die ab illius parte anteriori versus Basili- cam semper posse a Canonici deputatis aperiri, Vespere autem descendente, & de nocte, quando alia ejusdem Basilicæ fores clauduntur, a parte interiori versus ejusdem Cappellæ Sacrificiam, a Sacrificia Cappellæ, ad- moto etiam veste, seu palo ferreo claudi debere, ostii prædicti aperi- tione, & ad sacra Imaginis conclave accessione, præterquam ex Capituli decreto, seu Protectoris man- dato, seu ad instantiam Patroni, ut supra, noctis tempore penitus interdicta. Quod si quis ex Canonici, seu alius ad hoc deputa- tus, vel sine licentia Capituli, seu cum li- centia Capituli, aliunde ad dictum concla- ve aperiendum ausu temerario accedere, & pervenire tentaverit, poenam excommu- nicationis ipso facto, a qua non nisi a Nobis, & Romano Pontifice successore nostro ab- solvi valeat, incurrat.

§. 39. Sollicitudinem autem, curamque primodi- ctam Imaginem coronis, torquibus, gemmis, & preciosis margaritis ornandi, & eandem Imaginem conservandi Sacri- ficæ Cappellæ, una cum Canonici prædic- tis demandamus, ita tamen, ut circa illius ornatum, & conservationem nihil a prædic- tis, sine consensu Protectoris pro tempore existentis innovetur. Et si inter Canonicos, & Sacrificiam prædictos, aliqua circa præmis- sum ornatum, & conservationem contro- versia, vel dissensio oriatur, semper idem Cardinalis Protector consulatur, a quo ex- trajudicialiter, & omni, & quacumque ap- pellatione, & recurfu remotis, omnis contro- versia, & dissensio hujusmodi decidatur, & terminetur.

§. 40. Præterea statuimus, & ordina- mus, quod lampades septem, quinque scilicet ante primodi- ctam Imaginem, & reli- quæ duæ singulæ ante singula Altaria Sanctæ Franciscæ, & Sancti Caroli hujusmodi, ubi de præsentî reperintur, diu, nocteque perpetuo accense permaneant, ac in hono- rem, & venerationem primodi- ctæ Imagi- nis ultra dictas lampades, duæ siquidem ceræ albæ singulæ librarum quatuor, semper, & perpetuo de die ante Altare in illius an- gulis super altis candelabris ad eum usum confectis; In vigiliis vero, ac festivitatibus ejusdem Beate Virginis cum octo die- bus sequentibus, dum primodi- ctæ Imago aperta ad populi conspectum permanebit, sex aliæ candelæ similes de die etiam perpe- tuo accense in Altari, & super inibi existen- tibus candelabris retineantur, omnique im- pensa propterea necessaria ex propria dote, & mensa ipsius Cappellæ, fabricæ, & Sacri- ficæ, ut præfertur, assignata, subministrerit.

§. 41. Reliquias quoque eorumdem San- ctorum Caroli, & Franciscæ in Altari- bus prædictorum Sanctorum, & aliis quas- cum- que in dicte Cappella, illiusque Altari- bus, & Sacrificia, nunc, & pro tempore existen- tes, ab ea amoveri, seu extrahi, & alibi asportari etiam in die, quo Capitulum, seu Canonici alias dicte Basilicæ reliquias po- pulo exhibebunt, omnino prohibemus, sed

Prohibetur, ne aperitio Tabernaculi, sive accessus ad conclave fiat de nocte, nec per alium, quam supra assignatum.

Cura ornandi Sacram Imaginem coronis, & aliis preciosis, datur Sacrificæ Cappellæ una cum Canonici prædictis tamen, ut circa illius ornatum nihil innovetur absque Protectoris licentia.

De lampadi- bus, & can- delis accensis in Cappella tenendis.

Reliquiæ non sunt portan- dæ extra Cap- pellam.

Legata sacra Imagini ante translationem, & Pallia hæc- tenus data, reli- quuntur Ca- pitulo cum onere tamen commodandi Pallia pro or- nanda Cap- pella.

Oblationes, & alia largi- tiones, de ce- tero facien- dæ Sacre Imagi- ni ad quem- spectent.

tunc in Altaribus dicte Cappellæ, ut inibi a Christianis venerentur, in suis capfulis, & receptaculis publice exponi mandamus.

§. 42. Insuper ad omnem differentiam, & quæstionis materiam, quæ inter Capitu- lum, & Canonicos prædictos ex una, ac Priorem, & Cappellanos, aliosque Mini- stros dicte Cappellæ, illiusque Patronum pro tempore exoriri possit, tollendam, Capitulo, & Canonici prædictis, tam le- gatam bo. me. Cardinalis Elciurii, quam alia omnia legata primodi- ctæ Imagini hæc- tenus ante translationem primodi- ctæ Imagi- nis prædictam, facta, & etiam cultrices, & seu pallia a Camera nostra quotannis pri- modi- ctæ Imagini dari, & offerri solita, tam hæc- tenus data, & oblata, quam danda, & offerenda in futurum, dimittimus, & rela- xamus. Ita tamen quod Capitulum, & Ca- nonici prædicti, cultrices, & pallia prædic- ta pro usu, & ornamento dicte Cappellæ, toties quoties occasio tulerit, & fuerint re- quisiiti accommodare, & tradere teneantur.

§. 43. Oblationes autem, quas manu- liter a quibusvis pro tempore in majori Altari ipsius Cappellæ, seu altero ex duobus Altaribus S. Caroli, & S. Franciscæ in dicte Cappella existentibus, seu in manibus Sacri- ficæ, aut alterius dicte Cappellæ Ministri, seu primodi- ctæ Imagini, vel Cappellæ, aut Altari- bus prædictis fieri contigerit, sive sint in torquibus, jocalibus, margaritis, aureis, & gemmatis coronis, sive etiam paramen- tis, aut preciosis vestibus, vel in aureis, seu argenteis votis, cuiuscumque generis, & valoris, semper, & sine aliqua distinctione sint, & esse debeant ipsius Cappellæ, & Al- tarium prædictorum, ac in ejusdem Cap- pellæ, suæque fabricæ, Sacrificæ, ac mensæ utilitatem omnino converti debeant. Illæ vero, quæ mediante testamento, legato, do- natione, seu alia dispositione primodi- ctæ Imagini, vel Cappellæ, aut Altari- bus in ea existentibus prædictis relinquantur, si ad sup- plementum ecclesiasticam spectare digno- sentur, ut sunt Cruces, candelabra, vasa argentea, aurea, custodiæ pro reliquiis, ves- tes, aut alia ejusdem generis, res, & bona eidem Cappellæ, & illius Altari- bus, fabricæ, ac Sacrificæ cedere, & applicari volumus. Si vero hujusmodi relicta, seu aliis donata, & primodi- ctæ Imagini, vel Cappellæ, aut Altari- bus prædictis pro tempore dedicata, vel dedicanda, domus, casalia, prædia, aut alia stabilia, seu etiam pecuniæ sint, ad Ba- silicam ipsam, illiusque Capitulum spectent, ac spectare declaramus, & ordinamus, hoc tamen ita statuimus, & declaramus, nisi ex legitimis, & iustis coniecturis, aut aliis constaret, piam dispositionis devotionem esse, etiam stabilia, & pecuniæ, de quibus supra, ipsi primodi- ctæ Imagini, ejusque Cappellæ, & Altari- bus prædictis relinquere, & ordina- re, ita ut in primodi- ctæ Imaginis, & Cap- pellæ, dictorumque Altarium commodum, & honorem converti deberent, tunc enim piam offerentis mentem, & voluntatem in primis, & ante omnia servari volumus, & mandamus. Ceræ vero, quæ in Anniver-

sariis, & funeralibus supererant, pro duo- bus Capitulo, & Cappellanis, pro reliqua vero tertiis partibus Priori, Cappellanis, & Clericis prædictis distribuuntur, prout eas distribuere jubemus. Ipsa autem Anniver- saria, & funeralia, quando fieri contingerit, non intra Cappellam prædictam, sed extra- cam in dicte Basilica in loco Patrono infra- scripto benefico fieri, & celebrari volumus & mandamus.

§. 44. Rursus Priori, Cappellanis, & Clericis prædictis, illorumque Collegio, ut omnibus, & singulis privilegiis, immunitati- bus, exemptionibus, libertatibus, præeminenti- tiis, prærogativis, favoribus, facultatibus, in- dultis, & aliis gratis, tam spiritualibus, quam temporalibus, quibus alii dignitates, Cappellani, & alia Beneficia in dicte Basili- ca S. Mariæ Majoris, & aliis ejusdem Ur- bis Basilicis, & Ecclesiis pro tempore obti- nentes, earumque Collegia, de jure, vel consuetudine, aut ex privilegio, vel aliis quo- modolibet utuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere possunt, & poterunt quo- modolibet in futurum, non solum ad eorum instar, sed æque, & principaliter, & pari- formiter, in omnibus, & per omnia, uti, potiri, & gaudere libere, & licite valeant, apostolica auctoritate, & tenore prædictis indulgemus.

§. 45. Præterea eandem Cappellam, il- liusque fabricam, & Sacrificiam, nec non Priorem, Cappellanos, Sacrificiam, Camera- rium, Clericos, & alios Ministros, & perso- nas ejusdem Cappellæ pro tempore existen- tes, ipsamque Collegium, ac prædicta, ca- teraque omnia, & quæcumque illius, & eorum bona, mobilia, & immobilia, cui-uscumque qualitatis, & quantitatis in dictis Urbe, & locis, & extra, ac aliis ubicumque locorum consentientia, ab omni jurisdictione, correctione, visitatione, dominio, super- ioritate, & potestate, nunc, & pro tempo- re existentis Urbis Vicarii, & Archipre- byteri dicte Basilicæ S. Mariæ Majoris, ejusque Vicarii, & Capituli, & cuiusvis Ordinarii loci, aliorumque quorumcum- que Judicum, & Officialium in ipsa Urbe, vel alias ubilibet constitutorum, perpetuo eximimus, & liberamus.

§. 46. Ac prædictum Scipionem Cardi- nalem illius vita durante, & eo vita functo, antiquiorem ejusdem S. R. E. Cardinalem ex nostra, ac Franciscæ, & Marci Antonii prædictorum familia, & parentela, vel in ejus defectum alium Cardinalem acceptare volentem, quem etiam ex nunc requirimus, & hortamur, pro tempore existentis Patrono Cappellæ prædictæ beneficum, ac ad ipsius Patroni libitum, & arbitrium, toties, quoties opus fuerit, nominandum, & eligen- dum ejusdem Cappellæ, illiusque fabricæ, & Sacrificæ, nec non Prioris, Cappellano- rum, Clericorum, Ministrorum, persona- rum, rerum, bonorum, & jurium, privati- ve quoad Archipresbyterum prædictum, & Urbis Vicarium, & etiam omnes alios quoscumque Romanæ Curie, & Urbis prædictarum, & alios quosvis Judices quocum- que

Priori, Cap- pellanis, & Clericis, eor- umque Col- legio com- munitantur omni a privi- legia simili- bus personis & Collegiis competentia.

Eximuntur Cappellæ, Prior Cappellani, Clerici, & alii Mini- stri, eorum- que bona a jurisdictione, correctione, & visitatione, Urbis Vicarii Basilicæ prædic- tæ Archi- presbyteri, & quorumcum- que aliorum Judicum.

Datur Patrono facultas nominandi Cardinalem Protectorem ad ejus libitum, & ipse Protector Cappellæ con- stituitur Ju- dex private quoad omnes alios.

que nomine vocatos, & quacumque præ-
eminentia, etiam Cardinalatus, ac etiam
Legati de latere, & alio quocumque hono-
re, dignitate, præminentia, & auctoritate
pollentes, Protectorem, ac defensores,
nec non Judicem irrevocabilem perpetuo
constituimus, & deputamus. Ac Vicario
Urbis, nec non Archipresbytero, & illius
Vicario, ac prædictis, & aliis quibusvis,
etiam cujuscumque gradus, conditionis, &
præminentie existentibus personis, & Ur-
bis, ac Romana Curie prædictarum, &
aliorum locorum Judicibus, ne se in Cap-
pellam, illiusque fabricam, ac Sacristiam,
ac Priorem, Cappellanos, Clericos, Mini-
stros, aut alias ejusdem Cappellæ personas,
ac res, bona, & jura quacumque, seu in li-
tium, & differentiarum desuper, aut illo-
rum occasione pro tempore suscitatarum,
seu ortarum cognitionem, etiam ratione
cujuscumque amicabile compositionis,
vel concordie, aut alias quomodocumque
ingerere, seu decretum suum, vel auctori-
tatem interponere præsumant, districtius
inhibemus.

Cardinalis de
familia præ-
fertur quoad
Protectionem
eiusdemque
Cardinali ex-
traneo prius
nominato.

§. 47. Præterea volumus, & declara-
mus, quod licet nullo de nostra, & Fran-
cisci, ac Marci Antonii prædictorum pa-
rentela hujusmodi existente in Cardinalatus
honore constituto, alius ad id, ut præfertur,
electus, & nominatus Cardinalis munus
Protectoris hujusmodi subire, & exercere
incepisset, nihilominus, si postmodum con-
tingerit aliquem ex nostra familia, & paren-
tela prædicta ad Cardinalatus honorem assu-
mi, is in ejusdem muneris functione, seu
Protectoris gradu præferri debeat, & ele-
ctio, nominatio, constitutio, & deputatio
de cujusvis alterius persona in Protectorem
hujusmodi facta, eo ipso cessare, & expira-
re censentur.

Facultas con-
dendi statuta
Protectori
conceditur.

§. 48. Nec non eidem Scipioni Cardi-
nali moderno, & pro tempore existenti
ejusdem Cappellæ Protectori, quascumque
opportunas, & necessarias constitutiones,
& ordinationes, statuta, & decreta juxta
prudentiam eidem a Deo collatam pro pri-
modictæ Imaginis veneratione, ejusque
cultus conservatione, & augmento, ac
tam circa tempora servitorum præstando-
rum, ipsorumque Prioris, Cappellano-
rum, Clericorum, & aliorum Ministro-
rum felicem directionem, ac onerum eis
incumbentium supportationem, quam
multas, punctationes, & pœnas contra
negligentes, & servitia debita omittentes,
illarumque applicationem, ac super aliis
omnibus, quæ in præmissis omnibus, & sin-
gulis, ac præmissorum causa, & occasione
necessaria esse judicabit, condendi, com-
ponendi, edendi, atque promulgandi, &
postquam semel edita, & promulgata fue-
rint, quoad Scipionem, aut alios pro tem-
pore existentes Cardinales Protectores Pa-
tronos ex se, quo vero ad alios Cardinales
Protectores non Patronos de Patroni con-
sensu, semel edita, & promulgata, prout
in domino, ac toties quoties eis expedire
videbitur, in parte, seu etiam in toto mu-

tandi, & corrigendi, ac alia de novo eden-
di, & promulgandi, quæ semper, & perpetuo
auctoritate nostra, ex nunc, prout ex
tunc, & e contra valere, & servari volumus,
decernimus, & mandamus.

§. 49. Nec non differentias, lites, &
controversias inter quascumque personas,
tam Prioris quam Cappellanorum, & Mi-
nistrorum hujusmodi, ac aliarum persona-
rum ejusdem Cappellæ servitio, vel mini-
sterio addictarum, & earundem consortes,
seu inter ipsos, & quosvis alios occasione
personarum, & bonorum dictæ Cappellæ
pro tempore exortas, summarie, simpli-
citer, & de plano, sine strepitu, & figura
Judicii, omni, & quacumque contradic-
tione, interpellatione, appellatione, & recur-
su, in integrum restitutione, ac mora re-
motis, etiam private quoad Archipres-
byterum dictæ Basilicæ, & illius Vicarium,
ac etiam Curie causarum Camera Apo-
stolicæ, & Palatii Apostolici Auditores, ac
ejusdem Camere Clericos, & Thesaurarium
generalem, ac ejusdem Urbis Governatorem,
Camerarium, & Vicecancellarium, nec non
nostrum, & pro tempore existentem in ipsa
Urbe in spiritualibus Vicarium Generalem,
atque omnes alios Curie, & Urbis prædi-
ctarum, & aliorum locorum quorumcum-
que ordinarios, & delegatos Judices, nunc,
& pro tempore existentes, cognoscendi,
decidendi, definiendi, terminandi, & ex-
quendi, litisque, & causas hujusmodi alibi
introducitas, motas, seu pendentes, avo-
candi, reassumendi, ac quos, quibus, &
quoties opus fuerit, citandi, ac sub censuris
ecclesiasticis, & pœnis pecuniariis, ejus
arbitrio imponendis, & moderandis, in-
hibendi, pœnasque, & censuras hujusmodi
incurrisse declarandi, ac servata forma
Concilii Tridentini aggravandi, reaggra-
vandi, invocato etiam ad hoc, si opus fuerit,
auxilio brachii secularis, ac denique eam-
dem prorsus jurisdictionem, superiorita-
tem, & potestatem in Cappellam prædi-
ctam, illiusque fabricam, Sacristiam, Al-
taria, & bona quacumque, ac universas, &
singulas personas prædictas, in omnibus, &
per omnia, quam pro tempore existentes
dictæ Basilicæ S. Mariæ Majoris Archipres-
byter, ejusque Vicarius in dictam Basili-
cam, illiusque Altaria, Capitulum, Cano-
nicos Beneficiatos, & Clericos, vel Mini-
stros, de jure, vel consuetudine, ac privi-
legio, vel aliis quomodolibet exercere po-
test, & debet, sive in futurum poterit, &
debebit, etiam quoad ea universa, & sin-
gula, quæ expressionem, & concessionem
requirerent magis specialem, & quæ in, &
super generali hujusmodi concessione non
comprehenduntur, seu non comprehendendi
dici possunt, libere exercendi, plenam, li-
beramque damus, & concedimus facultate-
m.

§. 50. Ac eidem Scipioni Cardinali, &
pro tempore existenti prædictæ Cappellæ
Protectori, & defensori, omnes quascum-
que, & singulas stantias, mansiones, & ha-
bitationes eidem Cappellæ nostræ adjacen-

Omnes lites
committun-
tur Protectori
summarie, &
appellatione
remota, cum
facultate ab
aliis Judici-
bus avocandi
& reassumen-
di causas inhi-
bendi &c.

Facultas Car-
dinalis Prote-
ctoris dispo-
nendi de Ca-
meris, & man-
sionibus Cap-
pellæ adja-
centibus.

tes, seu contiguas, & annexas, quas in in-
tus, & ad ambitum, vel muros illius exis-
tentes fabricari fecimus ad hoc, ut de illis
nunc, & quodcumque ad ejusdem Scipio-
nis Cardinalis, & pro tempore existentis
Protectoris, vel familiarium, & domesti-
corum, & sibi servientium, seu aliarum,
personarum usum, & commoditatem, ac
servitium, & aliàs ad beneplacitum, & ar-
bitrium suum, libere, & licite absque ali-
qua recognitione, vel pensione, seu solu-
tione illarum ratione, etiam prædictæ Cap-
pellæ, vel Priori, & Cappellanis, aliisque
Ministris illius, seu Basilicæ hujusmodi, aut
cuivis illi faciendæ disponere possit, libe-
rumque earundem stantiarum, mansionum,
& habitationum usum, commoditatem, &
servitium; Ita tamen quod in illis, tam in
toto, quam in parte nullus præter Scipionem
Cardinalem, & pro tempore existentem,
Protectorem, & defensorem hujusmodi,
quovis prætextu, occasione, vel causa, seu
ullo unquam tempore se ingerere possit,
perpetuo reservamus, concedimus, & assi-
gnamus.

Jurispatronatus
Cappellæ
concessio, &
forma succe-
dendi in illa.

§. 51. Insuper circa Jurispatronatus, &
præsentandi, nominandique, eligendi, &
deputandi, antedicti reservationem, & seu
Prioratus, ac Cappellanarum, & Clerica-
tum hujusmodi, aliorumque prædictorum
dispositionem de novo statuendam, vel sta-
tuendum censentes, prædicto Scipioni Car-
dinali prædictam Jurispatronatus Cappellæ
prædictæ, ac ut supra, & infra præsentandi,
eligendique, & deputandi, prædictamque
dispositionem, quoad vixerit, faciendi, nec
non eidem Scipioni Cardinali, tamquam
Patrono, & Protectori vita sibi comite tam
Prioratus, quam omnium, & singularum
Cappellanarum hujusmodi tam ea prima-
vice ab ipsa eorum primæva erectione, &
institutione apud Sedem prædictam vacan-
tium, quam de cætero quibusvis modis, &
ex quorumcumque, etiam nostrorum, &
Romani Pontificis pro tempore existentis,
seu cujusvis Cardinalis etiam viventis fa-
miliarium continuorum commensalium,
seu dictæ Curie Officialium, aut aliàs quo-
modolibet reservationem indudentibus per-
sonis, seu per liberas, vel ex causa permu-
tationis, resignationis, jurium cessiones,
etiam accessorias, vel simplices, de illis in
dicta Curia, vel extra eam, etiam in nostris,
vel Romani Pontificis pro tempore existen-
tis manibus etiam in dicta Curia, vel extra
eam quomodolibet factas, & admittas, aut
assequutionem alterius beneficii ecclesiastici
quavis auctoritate collati, seu illa pro tem-
pore obtinentium decessum, vel quamvis
aliam dimissionem, amissionem, privatio-
nem, religionis ingressum, matrimonii
contractum, ad Cathedralium Ecclesiarum,
vel Monasteriorum, etiam consistorialium,
seu quacumque aliam promotionem, aut
aliàs quomodolibet, & qualitercumque,
etiam apud Sedem prædictam, & in dicta
Curia, simul, vel successive, toties quoties
vacaturorum, plenam, & liberam colla-
tionem, & provisionem, ac omnimodam

aliam dispositionem, & institutionem per-
sonarum in eisdem Prioratu, & Cappellanis
nec non Sacristæ, Clericorum, & Scoparii
deputationem per ipsum Scipionem Cardi-
nale n, vel alium, seu alios, quem, vel quos
ad id duxerit deputandum, vel deputandos,
quando, & quoties, etiam si eundem Scipio-
nem Cardinalem ab ipsa Curia, etiam pro
sua voluntate ubilibet, etiam ultra Montes
abesse contigerit, faciendas concedimus, &
retervamus.

§. 52. Nec non eidem Scipioni Cardi-
nali hujusmodi Prioratum, & Cappellanas,
ut præfertur, vacantes, & vacaturas conse-
cendi, & de eis providendi, ac disponendi,
nec non de Prioratu, & Cappellanis præ-
dictis sic pro tempore, & quodcumque
provisos, vel institutos, in eorumdem Prio-
ratus, ac Cappellanarum, ac eorum singu-
lorum possessionem veram, realem, &
actuaalem, etiam eo ipso absque aliqua alte-
rius Judicis, vel personæ in dignitate eccle-
siastica constitutæ, vel aliàs qualificatæ mi-
nisterio, seu interventu, aut præsentia, seu
licentia aliqua, propria auctoritate immit-
tendi, ponendi, inducendi, & manutenedi,
quos sic in possessionem immisos, & indu-
ctos in Priorem, ac Cappellanos hujusmo-
di, & in fratres ejusdem Cappellæ, illius
Prior, & ceteri Cappellani respective reci-
pere, ac ad omnia jura, & tractatus ejusdem
Cappellæ admittere teneantur, plenam, &
integram, liberam, & omnimodam facul-
tatem, & auctoritatem, & potestatem at-
tribuimus, sibi que desuper indulgemus.
Post obitum vero prædicti Scipionis Cardi-
nalis, prædictum jurispatronatus dictæ Cap-
pellæ, & præsentandi personas idoneas
etiam alienigenas ad Prioratum, omnesque,
& singulas Cappellanas hujus-
modi, quotiescumque illum, & illas,
& illorum aliquos, ut præfertur, seu
aliàs quomodocumque vacare contigerit,
ac Sacristam, distoque Clericos, & Sco-
parium ad nutum deputandi, & removen-
di, ac Protectorem eligendi, & nomi-
nandi dicto Marco Antonio Burghesio Prin-
cipi Sulmonis, nostro ex prædicto Jo: Ba-
ptista secundum carnem Nepoti, ejusque
natis, & descendentibus masculis per li-
neam masculinam legitimis, & naturali-
bus ex legitimo matrimonio natis, & pro-
creatis.

Conceditur
Card. Bur-
ghesio facul-
tas consecran-
di, ut supra,
& in posses-
sionem im-
mittendi pro-
visos.

§. 53. Ita tamen, quod præsentatio, cle-
ctio, nominatio, & deputatio respective solum
feri debeat a primogenito, & ipsius primo-
geniti primogenito usque in infinitum, hoc
modo videlicet: si dictus Marcus Anto-
nius plures filios masculos habuerit, præ-
sentatio, electio, nominatio, & deputatio
respective pertineant ad natu majorem
tantum, qui si etiam plures susceperit filios
masculos, natu major eorum tantum præ-
sentet, & respective deputet, nominet,
& eligat, & sic jus præsentandi, & respec-
tive deputandi, eligendi, & nominandi
hujusmodi semper transeat de primogenito
in primogenitum usque in infinitum, & de-
ficiente, vel non existente linea masculo-
rum

Ordo Primo-
genituræ in
successione
jurispatronatus
Cappellæ.